

retrogatus, hoc requirit ut videat voluntatem Domini. *Beda* (par. ante fin.) Imitemur ergo & nos, cum: non divicias, non tetrena, bona, non honores à Domino, sed lucem queramus, quam videre cum solis Angelis possumus, ad quam via fides est: unde & cæco responderetur: *Fides tua te salvum facit.* Videt autem, & sequitur (1) qui bonum quod intelligit operatur: Jesum enim sequitur qui bonum quod intelligit operatur, qui imitatur (2) eum qui prosperari in hoc mundo noluit, opprobria, ac irrisiones toleravit. Et quia rerum corporalium de-

lectatione à gaudio interno cecidimus, cum qua amaritudine illuc redeat ostendit. *Theophylactus* (in fine Comm. in cap. 10. Marci.) Dicit autem, quod secutus est Dominum in via, scilicet in hac vita: quia post hanc excluduntur omnes qui hic eum non sequuntur. (3) operando mandata ejus. *Hieronymus* (in fine Comm.) Vel via ista est quæ dixit Joan. 14. „ Ego sum „ via, veritas, & vita. „ Hæc est via angusta quæ ducit ad ardua Hierosolymæ, & Bethaniæ; ad montem olivarum, qui est mons luminis, & consolationis.

(1) Forte redundans est sententia quæ sequitur. (2) Al. omittitur eum. (3) Al. ab operando.

CAPUT XI.

(a) **ET** cum appropinquaret Hierosolymæ, & Bethaniæ ad montem olivarum, mittit duos ex discipulis suis, & ait illis: Ire in castellum quod contra vos est, & statim introentes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit. Solvite illum, & adducite. Et si quis vobis dixerit, Quid facitis? dicite quia Domino necessarius est; & continuo illum dimittet huc. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & solvunt eum. Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis, solventes pullum? Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus; & dimiserunt eis. Et duxerunt pullum ad Jesum, & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum. Multi autem vestimenta sua straverunt in via; alii autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via. Et qui præbant, & qui sequebantur clamabant dicentes: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri David: Hosanna in excelsis.

(b) Et introivit Hierosolymam in templum, & circumspexit omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. Et alia die, cum exiret à Bethania, esuriit: cumque vidisset à longe ficum habentem folia, venit, si quid forte inveniret in ea; & cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te quisquam fructum manducet. Et audiebant discipuli ejus.

(c) Et veniunt iterum Hierosolymam. Et cum introisset in templum, cepit increpare vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertere: & non sinebat ut quisquam transferret vas per templum. Et docebat eos, dicens eis: Nonne scriptum est, quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Quo audito principes sacerdotum, & scribe, quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus.

(d) Et cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate. Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit. Et respondens Jesus ait illis: Habere fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, Tollere, & mittere in mare, & non straverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis: omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis; & venient vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem; ut & Pater vester qui in cælis est dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in cælis est dimittet vobis peccata vestra.

(e) Et veniunt rursus Hierosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & scribe, & seniores, & dicunt ei: In qua potestate hæc facis; & quis dedit tibi hanc potestatem ut ita facias? Jesus autem respondens ait illis: Interrogabo vos & ego unum verbum, & respondete mihi, & dicam vobis in qua potestate hæc faciam. Baptismus Joannis de cælo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus, De cælo, dicit nobis: Quare ergo non credidistis

distis ei? Si dixerimus, Ex hominibus, timeamus populum. Omnes enim habebant Joannem, quia vere Propheta esset. Et respondentes dicunt Jesu, Nescimus. Et respondens Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.

(a) **CHRYSOSTOMUS** (hom. 67. in Matth.) Postquam Dominus suæ virtutis sufficientem experientiam dederat, & crux inflabat in januis, omnia jam cum majori agit (1) claritate, quæ adversarios inflammatura erant; & ideo quamvis multoties prius ascenderit Hierosolymam, nunquam tamen cum tanta excellentia sicut modo. *Theophylactus* (circa prin. Comm. in cap. 11. Marci.) Ut si velint, valeant gloriam ejus agnoscere, & per prophetias de eo completas scirent quod est verus Deus; si vero noluerint, majus fieret eis iudicium, quia tot claris miraculis non crediderunt. Hujus igitur adventus claritatem Evangelium describens, dicit: *Et cum appropinquaret Hierosolymam, & Bethaniæ ad montem olivarum, mittit duos ex discipulis suis.* *Beda* (cap. 41. in Mar.) Bethania villula est, sive civitas in latere montis Oliveti, ubi Lazarus est suscitatus à mortuis. Quomodo autem discipulos miserit, & ad quid, ostendit subdens: *Et ait illis: Ire in castellum quod est contra vos.* *Theophylactus* (par. à prin. Comment.) Considera vero quanta Dominus discipulis prædixerit, scilicet quod invenirent pullum: unde sequitur: *Et statim introentes illuc invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum, & adducite:* & quod impedirentur ab accipiendo: unde sequitur: *Et si quis vobis dixerit, Quid facitis? dicite quia Domino necessarius est:* & quod hoc dicto permitterentur accipere: unde sequitur: *Et continuo illum dimittet huc.* Et sicut Dominus prædixerat, ita (2) impletur: unde sequitur: *Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & solvunt eum.* *Augustinus* de Con. Evan. (Lib. 2. cap. 66. ante med.) *Matthæus* afinam dicit, & pullum, ceteri autem de afinæ tacent: ubi ergo utrumque factum potest intelligi, nulla repugnantia est, nec fit alius unum, alius alium commemoraret; quanto minus moveri oportet, si alius unum, alius utrumque commemoret?

Sequitur: *Et quidam de illic stantibus dicebant illis, Quid facitis, solventes pullum? Qui* *S. Thom. Op. Tom. VIII.*

(1) *P. Nicolai* legit caritate. (2) *Al.* impleteretur. (3) *In quatuor specie citatis exemplis hic habetur Hieronymus.* Sub pedibus pulli afinæ. *Alii* autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via. Magis autem ad ornatum &c. *Infra tamen in alia Hieronymi appendice, consentientibus omnibus quæ vidimus editionibus, repetuntur verba sub pedibus pulli afinæ.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale in Chrystomo, sed hom. 11. ex iis quæ super Marcum ei perambulant tribuuntur, sic tantum habet. *Tria dicunt: Hosanna filio David; & hoc pertinet ad incipientes. Benedictus qui venit in nomine Domini; hoc ad proficientes. Hosanna in excelsis; hoc ad regnantes.* Nec id etiam quod sequitur infra *Theophylactum*, est *Chrystomi.*

dixerunt eis, sicut præceperat illis Jesus, & dimiserunt eis, scilicet pullum. *Theophylactus* (ubi supra.) Non autem hoc permitterent, nisi divina virtus eis incumberet, cogens illos; præsertim quia rurales existentes, & coloni permiserunt pullum auferre.

Sequitur: *Et duxerunt pullum ad Jesum, & imponunt illi vestimenta sua; & sedit super eum.* *Chrystomus* (hom. 67. in Matth.) Non quidem quod ex necessitate à monte Oliveti usque Hierosolymam super pullum ire Dominum oportebat, cum Judæam, & omnem Galilæam pedes perambulaverat; sed signum erat quod fiebat. Sequitur: *Multi autem vestimenta sua straverunt in via.* (3) Magis autem ad ornatum, & ad sacramentum pertinet, quam ad necessitatem. Sequitur: *Et qui præbant, & qui sequebantur clamabant dicentes: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Multitudo enim donec corrupta non fuit, cognovit quod congruum erat: propter quod honorificavit Jesum unusquisque secundum propriam virtutem: unde laudantes ipsum, hymnum leviticum assumpserunt, dicentes, Hosanna, quod secundum quosdam idem est quod salvum me fac; secundum vero quosdam idem quod hymnum. *Asitimo* autem primum esse verius, nam in 117. Psalmo habetur: „ O Domine salvum me fac: quod in Hebraico scriptum est, „ Hosanna. *Beda* (cap. 44. in Mar.) Est autem *Hosanna* verbum Hebraicum compositum ex duobus, corrupto, & integro: salva namque, sive salvifica apud eos dicitur *hosy*; at vero *anna* interjectio est deprecantis, quomodo apud Latinos est dolentis heu. *Hieronymus* (super *Alii* autem.) *Hosanna* igitur, idest salvifica, dicunt, ut homines salventur ab eo benedicto, vincente, & veniente in nomine Domini, idest Patris sui, quoniam Filius de Patre nomen suscepit, & Pater de Filio. *Chrystomus.* (a) Sic ergo dant Deo gloriam, dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* *Benedicunt* etiam regnum Christi, dicentes: *Benedictum quod venit regnum patris nostri David.* *Theophylactus* (super *In nomine Domini.*)

Regnum autem David regnum Christi dicebant, & quia de semine David Christus descenderat, simulque quia David interpretatur manu fortis: quis enim fuit manu fortis nisi Dominus, cuius manus tot & talia miracula operata est? *Chrysostomus*. Unde & multoties Prophetae, David Christum nuncupant, propter originem Christi ex David secundum carnem. *Beda* (ubi supra.) Legimus autem in Evangelio Joannis, quia ne facerent eum Regem, in montem fugit. Nunc autem ubi passurus Hierosolymam venit, non refugit eos qui se Regem nuncupant, ut aperte doceret quia non temporalis, & terrenus, sed aeterni in caelis Rex esset imperii, atque ad regnum per contemptum mortis perveniret. Notandum autem quanta sit concionaria turba cum voce Gabrielis, qui ait Luc. 1. Dominus Deus sedem David patris sui: ut scilicet gentem cui David quondam temporalis regni gubernacula praebuit, hanc ipse verbis, & factis ad regnum caeleste vocaret. *Chrysostomus*. Et ulterius dant gloriam Deo cum subdant: *Hesanna in excelsis*, id est, hymnus, & gloria sit univerforam Deo, qui est in excelsis. *Hieronymus* (super *Alii autem clamabant.*) Vel *Hesanna*, id est salvisca, in excelsis, & imis; id est, ut iusti edificentur in ruinam angelorum, & terreni, & subterranei etiam salventur. Mystice autem appropinquat Dominus Hierosolymae, quae est visio pacis: in qua manet fixa immobilisque felicitas, quae secundum Apostolum, est omnium credentium. *Beda* (cap. 41. cir. princ.) Bethania autem domus obedientiae dicitur: quia multos ante passionem suam docendo domum sibi obedientiae effecit: & in monte Oliveti posita esse dicitur: quia Ecclesiam unzione spiritualium charismatum, & scientiae pietatisque luce refovet. Misit autem discipulos in castellum quod contra eos erat: hoc est, doctores, qui indocta orbis loca quasi contra positi castelli moenia evangelizando penetrarunt & deservavit. *Hieronymus* (super *Misit duos.*) Bini vocantur, & bini mitrunter discipuli Christi: quoniam caritas non consistit cum uno, ut dicitur Eccl. 4. Va soli. Duo educunt Hebraeos de Aegypto, duo deportantur de terra sancta, ut semper praepositi jungant opus, & scientiam, & duo mandata de duabus tabulis proferant, & duobus fontibus abluantur, & de duobus veclibus arcam Domini portant, & inter quos Cherubim Deum cognoscant, spiritu, & mente psallentes. *Theophylactus* (non procul a prin. Comment. in cap. 11. Mar.) Non autem erat ei necessarius pullus; sed quem quaesivit ostendens quod debebat se ad gen-

(1) Al. qui portant quod ad iudicandum &c.

tilem populum transferre. *Beda* (cap. 41. super illud, *Invenierunt pullum alligatum.*) Pullus enim asinae lascivus, & liber populum nationum significat: super quem nemo adhuc hominum sedit: quia nemo rationabilium doctorum frenum correctionis, quo vel linguam cohibere a malo, vel in arctam vitae viam ire cogeretur, utilis suadendo contulerat. *Hieronymus* (ubi supra.) Invenierunt autem pullum ligatum ante januam fortis, quia populus gentilis ligatus erat vinculis peccatorum suorum ante januam fidei, id est extra Ecclesiam. *Ambrosius* super Lucam (Lib. 9. non remote a princ.) Vel invenierunt eum ligatum ante januam: quia extra Christum quicumque est, fors est in via; qui autem in Christo est, fors non est. In transitu, sive in bivio addidit, ubi nullius certa possessio, non praesepit, non alimenta: non stabulum. Misera servitus cui vatum jus est: plures enim dominos habet qui unum non habet. Alieni alligant ut possideant, iste solvit ut teneat: vehementior enim dona novit esse quam vincula. *Beda* (cap. 41.) Vel recte in bivio stabant, quia non viam certam vitae, siveque tenebant, sed plures, dubiosque sectarum calles sequebatur erroris. *Hieronymus* (ubi supra.) Vel in bivio, id est in libertate arbitrii, dubitans inter vitam & mortem. *Theophylactus* (ibidem.) Vel in bivio, id est in via hac. Solatus est autem a discipulis per baptismum, & fidem. *Hieronymus* (ibidem.) Quidam autem dicebant, *Quid facitis?* ac si dicerent (Luc. 7.) *Quis potest dimittere peccata?* *Theophylactus* (ibidem.) Vel prohibentes sunt demones, quibus fuerunt Apostoli fortiores. *Beda* (cap. 41. sup. *Dimiserunt eis.*) Vel magistri errorum, qui venientibus ad salutem Gentium doctoribus obsistebant; at postquam fidei dominice potestas apparuit credentibus, adversariorum querelis liber credentium populus ad Dominum, quem corde portarent, adducebatur. Vestimenta autem Apostolorum quae illi imponunt, vel doctrina virtutum, vel discretio Scripturarum, vel ecclesiasticorum dogmatum varietates intelligi possunt: quibus illi corda hominum, ante nuda, & frigida, quae Christo fessore digna sunt operiunt. *Hieronymus*. Vel imponunt vestimenta sua; id est, stolam primam immortalitatis per baptismi sacramenta afferunt. Sedit autem Jesus super eum, id est in eis regnare cepit, ut non regnet peccatum in lasciva carne; sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. *Multum autem straverunt vestimenta sua in via*, sub pedibus pulli asinae. Qui sunt pedes, nisi extremi: (1) qui portant, quos ad iudicandum constituit Apostolus? Qui & ipsi, etsi non sunt

(1) Al. qui portant quod ad iudicandum &c.

dorsum, in quo sedit Dominus, tamen cum militibus a Joanne infrauntur. *Beda* (cap. 41. super *Multum straverunt.*) Vel, multi vestimenta sua in via sternerunt, quia sancti martyres propriae se carnis amictu exuentes, simplicioribus Dei famulis viam suo sanguine parant. Multi etiam vestimenta sua in via sternerunt, quia corpora sua per abstinentiam domant, ut Dei iter ad montem parent, vel exempla bona sequentibus praebant. Frondes autem, vel ramos de arboribus cadunt qui in doctrina veritatis semina patrum de eorum eloquio (1) capiunt. (2) & hac in via Dei ad auditoris animam venientis, humiliter predicatione submitunt. *Theophylactus* (Marc. 11. super *Sternunt vestimenta sua.*) Sternunt & nos viam vitae nostrae, cedentes ramos de arboribus, id est sanctos imitantes: non arbores sancti sunt, de quibus ille ramos cadit qui virtutem imitatur eorum. *Hieronymus* (ibidem.) Iusti enim ut palma floreant, angusti radicibus, laeti in floribus, & fructibus, quoniam bonus odor Christi sunt. Sternunt viam mandatorum Dei bona fama. Qui praebant, Prophetae sunt; & qui sequebantur, Apostoli. *Beda* (cap. 41. super *Et qui praebant.*) Et quia omnes electi, sive qui in Judaea esse poterant, sive qui nunc in Ecclesia existant, in mediatorem Dei & hominum crediderunt, & credunt: qui praecunt, & qui sequuntur *Hesanna* clamabant, *Theophylactus* (super *Et qui praecedebant.*) Sed & qui praecunt, & qui sequuntur nostrorum aequum ad laudem sunt Dei: quidam enim in praeterita vita bonum fecerunt initium, sequens verum non est ut prior, neque in laudem Dei finita. (3) *Beda* (super *Et intravit Hierosolymam.*) Appropinquante tempore passionis, appropinquare voluit Dominus loco passionis, ut per hoc intimaret quia sua sponte mortem subiret: unde dicitur: *Et introivit Hierosolymam in templum.* Quod autem ingressus civitatem primo templum adiit, formam nobis religionis quam sequamur praemonstrat, ut cum forte quemlibet locum in quo sit domus orationis intramus, primo ad hanc divertamus. Hoc quoque intelligendum est quod tante Dominus fuerit paupertatis, & ita nulli sit adulatus, ut in urbe maxima nullum hospitium, nullam invenerit mansionem; sed in agerulo parvulo apud Lazarum fororeque ejus habitaret: eorum quippe vicus Bethania est: unde sequitur: *Et circumspexit omnibus*, si quis

eum hospitio susciperet, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. Non hoc semel fecit: sed per omnes quinque dies, ex quo Hierosolymam ascenderat usque ad tempus passionis hoc ipsum semper agere solebat, ut per diem in templo doceret, nocte vero exiens moraretur in monte Oliveti.

Sequitur: *Et alia die, cum exiret a Bethania, esurit.* *Chrysostomus* (a) (Rom. 60. in Matth. aliq. a princ.) Qualiter autem mane esuriebat, ut Mathaeus dicit, nisi quia dispensative hoc carni suae concessit? Sequitur: *Cumque vidisset a longe sicut habentem folia, venit, si quid forte inveniret in ea.* Manifestum est autem, quod hoc secundum suspicionem discipulorum dicitur, qui aestimabant propter hoc Christum ad ficulneam accessisse; & propter hoc ficulneam ipsam maledictam esse, quod in ea fructum non invenit: nam sequitur: *Et cum venisset ad eam, nihil invenit praeter folia: non enim erat tempus siccae.* Et respondens dixit ei: *Sic non amplius in aeternum quisquam ex te fructum manducet.* Maledicit ergo ficulneam propter discipulos, ut consideret. Quia enim ubique beneficia tribuebat, nullumque puniebat; oportebat autem ejus punitivae virtutis demonstrationem praebere, ut discerent quia posset etiam Judaeos persequentes siccare; noluit hoc demonstrare in hominibus: unde in planta suae punitivae virtutis praebuit signum; unde ostenditur quod principaliter propter hoc ad ficulneam venit, non propter esuriam. Quis enim tam inscius est ut putet quod matutino tempore tali stimularetur esurie; aut quid est quod impediret eum comedere antequam domum exiret? Neque potest dici quod visio fructus excitavit in esurie appetitum: non enim erat siccorum tempus. Sed si esuriebat, cur de alio comedere non quaerebat, sed de sicca fructus ante tempus tribuere non valente? Qua etiam praena erat dignum, sicum fructum non habere ante tempus? (4) Ideoque ex his sufficienter syllogizari potest, quod propria volebat demonstrare virtutem, ut non frangeretur animis in ejus passione. *Theophylactus*. Volens ostendere discipulis quod, si vellet, hos qui crucifixuri erant ipsum, in momento posset exterminare. Mystice autem Dominus introivit in templum, sed rursus exivit, ostendens quod ipsum relinqueret desertum, & in rapinam. *Beda*. Circumspicit autem omnia corda, (5) & cum

(1) Al. rapiunt. (2) Al. & hoc, item & hic. (3) Al. & in contradicentibus veritatis, & non inveniens ubi caput reclinet &c. (4) Ex edit. P. Nicol. (a) Eadem quoque habet Victor Antiochenus ubi supra, proprius ad scribam, & texum hujus loci, tamen sensus idem apud utrumque. (5) Apud Chrysostomum haec appendix non habetur; & pro illa potius habet Victor Antiochenus: *Ne ob virium imbecillitatem, vel naturalem esuriam, cibi desiderium pro se gessisset Christum, existimarent, sed alio spectasse, quod habuit*

in contradicentibus veritati non inveniat ubi caput reclinet, secedit ad fideles, & in eis qui obediunt, mansionem fecit: Bethania namque domus obedientia dicitur. *Hieronymus.* Mane autem ad Judæos venit, atque nos in vespere mundi visitat. *Beda* (super *Cum vidisset a longe ficum.*) Sicut autem parabolas loquitur, ita & operatur: ideo esuriens in ficu fructum quærit, cujus nondum tempus esse novit; & tamen eam perpetua sterilitate damnavit, ut ostenderet plebem Judæorum propter folia, idest verba justitiæ, quæ habebat sine fructu, idest verba operis, non posse salvari, sed scindi, & in ignem mitti. Esuriens ergo, idest salutem humani generis desiderans, vidit ficum, idest Judæum, habentem folia, idest eloquia legis, & Prophetarum, & quæsit in ea fructum boni operis, docendo, corripiendo, miracula faciendo; & non invenit, & ideo damnavit. Tu quoque, si non vis damnari à Christo in judicio, arbor sterilis esse caveo; sed potius pauperi Christo fructum pietatis quo indiget, offer. *Chrysostr. (a)* Est autem & aliter dicere, quod Dominus ante tempus fructum quæsit in ficu, & non inveniens malexit: quia omnes qui mandata legis adimplent, isti suo tempore fructificati dicuntur; sicut est illud mandatum, „ Non „ mœchaberis: „ qui autem non solum non mœchatur, sed permanet virgo, quod est magis, virtutibus excedit. Dominus autem à perfectis non solum exigit ut virtutes observent, sed supra mandata fructificent.

(c) *Beda* (super *Et veniunt Hierosolymam.*) Quod (1) maledicendo ficum instructuam per figuram Dominus fecit, hoc idem mox apertius ostendit ejiendo improbos de templo. Ficus enim non peccavit, si ante tempus fructum non habuit; sed sacerdotes: unde dicitur: *Et veniunt Hierosolymam: & cum introisset in templum, cepit ejicere vendentes, & ementes in templo.* Et quidem credendum est, quod ea tantum vendi, vel emi reperit in templo quæ ad ministerium templi necessaria essent. Si ergo ea quæ alibi libere geri poterant, Dominus in domo sua temporalia negotia geri non patitur; quanto magis ea quæ nunquam fieri licet, plus caelestis iræ merentur, si in ædibus Deo sacratis aguntur?

Sequitur: *Et mensas nummulariorum. Theo-*

(1) *Al.* Quia maledicendo.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nec iterum in Chrysostr. nec in Victore Antiocheno, nec in Theophylacto id occurrit; sed potius ex Origene tract. 16. in Matth. colligi potest æquivalenter, non expresse. (b) *Beda.* Ejus nomine prætermisso, prius ista ut ex Theophylacto sumpta considebantur cum prædictis, ex Gregorio autem hom. 39. in Evang. *Beda* mutatus est, ubi non eadem serie, sed multis interjectis habentur. Glossa quoque sub solo Theophylacti nomine refert; unde huc transscripta sunt.

phylactus (super *Et mensas collybitarum.*) Nummularios vocat campores nummorum: nummus enim genus æris minuti est.

Sequitur: *Et cathedras vendentium columbas evertit. Beda* (super *Et cathedras vendentium.*) Quia Spiritus Sanctus in columba super Dominum apparuit, recte per columbas Spiritus Sancti charismata designantur. Columba igitur venditur, quando manus impositio, per quam Spiritus Sanctus recipitur, ad pretium præbetur. Cathedras autem vendentium columbas evertit: quia qui spiritualem gratiam venundant, vel ante homines, vel ante Dei oculos sacerdotio privantur. *Theophylactus* (à med. Comm. cap. 11.) Sed & si quis baptismatis gratiam, & puritatem tradiderit damoni per peccatum, suam columbam vendidit; & propter hoc foras de templo ejicitur.

Sequitur: *Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum. Beda* (super *Et non sinebat ut quis transferret.*) De vas illis dicit quæ mercandi gratia interebantur. Ceterum absit ut vasa Deo dicata Dominus eiceret de templo, vel introferre prohiberet in templum: ubi futuræ examinis præterit exemplum: quia de Ecclesia repellit reprobos, & ne ultra ad interturbandam Ecclesiam intrent, æterno eos verbere compescit. Sed & peccata quæ cordibus fidelium inerant, divinitus immissa compunctio rollit; & ne ultra repetantur, divina in eis gratia adjuvat.

Sequitur: *Et docebat eos, dicens: None scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus? Hieronymus* (super *Et introivit.*) Juxta Esaiam cap. 57. *Vos autem scifistis speluncam latronum, juxta Hieremiam cap. 7. Beda.* Omnibus, inquit, gentibus, non uni genti Judææ; nec in uno Hierosolymæ urbis loco, sed in toto orbe terrarum, & nequaquam taurorum, & hircorum, & arietum, sed orationis. *Theophylactus* (Mar. 11. à med. Comment.) Speluncam autem latronum templum nominat propter lucrum: genus namque latronum ad lucrum se congregat. Quia ergo illa animalia quæ ad sacrificium oblata erant, causa lucri vendebant, latrones ipsos dixit. (b) Ad hoc enim in templo erant vel ut non dantes corporaliter persequerentur, vel dantes spiritualiter necarent. Templum etiam, & domus Dei mens est, &

conf-

conscientia fidelium; quæ si in læsione proximi perverlas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones resident. Ergo mens fidelium spelunca latronis fit quando relicta simplicitate sanctitatis, illud conatur agere quo valeat proximis nocere. *Augustinus*, de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 67.) Joannes autem longe diverso ordine hoc narrat: unde manifestum est non semel, sed iterum hoc esse à Domino factum; sed illud primum commemoratum à Joanne, hoc ultimum à ceteris tribus. *Theophylactus.* Quod etiam est in majorem redargutionem Judæorum: quia cum Dominus hoc tonies fecerit, ipsi minime se correxerunt. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 63.) In hoc etiam Marcus non eundem ordinem tenet cum Matthæo; sed quia Matthæus ita connectit cap. 21. „ Et relicti illis, „ abiit foras extra civitatem in Bethaniam: „ unde mane revertentur in civitatem, arbori maledixisse commemorat; probabilis creditur ipse potius tenuisse ordinem temporis (1) de vendentibus, & ementibus ejectis de templo. Prætermisit ergo Marcus quod prima die factum est, cum intravit in templum, & recordatum interposuit, cum dixisset quod non invenit aliquid in ficulna præter folia, quod secundo die factum est, sicut ambo testantur. *Glossa.* (a) Quem autem effectum correctio Domini in ministris templi habuerit, ostendit Evangelista cum subdit: *Quo audito principes sacerdotum, & scribæ quærebant quomodo eum perderent:* secundum illud Amos cap. 5. „ Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt. „ Ab hoc autem tam iniquo proposito ad tempus solo timore retraherentur: unde subditur: *Timent enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrinam ejus.* „ Erat enim docens „ eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ „ eorum, & pharisæi: „ ut alibi dicitur, supra 1. (d) *Hieronymus* (Marc. 11. super illud, *Et cum vespere esset.*) Relinquens Dominus post se tenebras in Judæorum cordibus, ut sol egrediebatur de civitate ad aliam quæ est benevola, & obediens: & hoc significatur cum dicitur: *Et cum vespere esset facta, egrediebatur de civitate.* Sed occidit sol, & oritur sol: lux enim ablata à scribis, lucet in Apostolis, unde in civitatem revertitur: propter quod subditur: *Et cum mane transirent, scilicet in civitatem euntes, viderunt ficum aridam factam à radicibus.* *Theophylactus* (Mar. 11. à med. Comm.) Quod miraculum magnum viderit in hoc quod tam humidam, & viridem arborem sicaverit. *Quamvis S. Thom. Op. Tom. VIII.*

(1) *Al.* omittitur de.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extrat, nec alibi occurrit. (b) Immo potius Victor Antiochenus ubi supra; nec tale quidquam in Chrysostr.

conscientia fidelium; quæ si in læsione proximi perverlas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones resident. Ergo mens fidelium spelunca latronis fit quando relicta simplicitate sanctitatis, illud conatur agere quo valeat proximis nocere. *Augustinus*, de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 67.) Joannes autem longe diverso ordine hoc narrat: unde manifestum est non semel, sed iterum hoc esse à Domino factum; sed illud primum commemoratum à Joanne, hoc ultimum à ceteris tribus. *Theophylactus.* Quod etiam est in majorem redargutionem Judæorum: quia cum Dominus hoc tonies fecerit, ipsi minime se correxerunt. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 63.) In hoc etiam Marcus non eundem ordinem tenet cum Matthæo; sed quia Matthæus ita connectit cap. 21. „ Et relicti illis, „ abiit foras extra civitatem in Bethaniam: „ unde mane revertentur in civitatem, arbori maledixisse commemorat; probabilis creditur ipse potius tenuisse ordinem temporis (1) de vendentibus, & ementibus ejectis de templo. Prætermisit ergo Marcus quod prima die factum est, cum intravit in templum, & recordatum interposuit, cum dixisset quod non invenit aliquid in ficulna præter folia, quod secundo die factum est, sicut ambo testantur. *Glossa.* (a) Quem autem effectum correctio Domini in ministris templi habuerit, ostendit Evangelista cum subdit: *Quo audito principes sacerdotum, & scribæ quærebant quomodo eum perderent:* secundum illud Amos cap. 5. „ Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt. „ Ab hoc autem tam iniquo proposito ad tempus solo timore retraherentur: unde subditur: *Timent enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrinam ejus.* „ Erat enim docens „ eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ „ eorum, & pharisæi: „ ut alibi dicitur, supra 1. (d) *Hieronymus* (Marc. 11. super illud, *Et cum vespere esset.*) Relinquens Dominus post se tenebras in Judæorum cordibus, ut sol egrediebatur de civitate ad aliam quæ est benevola, & obediens: & hoc significatur cum dicitur: *Et cum vespere esset facta, egrediebatur de civitate.* Sed occidit sol, & oritur sol: lux enim ablata à scribis, lucet in Apostolis, unde in civitatem revertitur: propter quod subditur: *Et cum mane transirent, scilicet in civitatem euntes, viderunt ficum aridam factam à radicibus.* *Theophylactus* (Mar. 11. à med. Comm.) Quod miraculum magnum viderit in hoc quod tam humidam, & viridem arborem sicaverit. *Quamvis S. Thom. Op. Tom. VIII.*

aurem Matthæus dicat ficulneam continuo arefactam, & quod videntes discipuli admirati sunt; non admireris si nunc à Marco audis ficum in crastinum arefactam videri discipulos: nam sic intelligendum est hoc quod dicitur à Matthæo, scilicet quod non statim viderunt, sed in crastinum. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 67.) Intelligitur autem non tunc aruisse quando viderunt, sed continuo quando maledicta est: neque enim arefactem, sed penitus arefactam viderunt; ac sic eam continuo in verbo Domini aruisse intellexerunt. *Hieronymus* (ubi supra, super *Viderunt ficum arefactam.*) Ficus autem arida à radicibus, synagoga est à Cain, & à ceteris, à quibus omnis sanguis ab Abel usque ad Zachariam requiritur. *Beda.* A radicibus autem arefacta est ficus, ut ostendetur gens impia non ad tempus, vel ex parte corripienda exterorum incurisibus, & per penitentiam liberanda, sicut sæpe factum est; sed æterna damnatione ferianda. Vel arefacta est à radicibus, ut ostendatur non solum humano extrinsecus, sed divino intus favore funditus destituenda: nam & vitam perdidit in cælis, & patriam in terris. *Hieronymus* (super *Et dixit Petrus.*) Petrus autem agnovit aridam, & abscissam radicem, cui succedit oliva fructifera, pulchra vocata à Domino: unde sequitur: *Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit.* *Chrysostr.* (b) Quod autem Petrus, & alii discipuli mirati sunt, non erat perfectæ fidei: non enim magnum erat hoc Deo. Quia ergo non manifeste noverant ejus virtutem, eorum ignorantia fecit eos in admirationem prorumpere: & ideo subditur: *Et respondens Jesus ait illis: Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia qui dixerit huic monti etc.* quasi dicat Non solum lignum siccare poteritis, sed & montem jussu, ac præcepto transmutare. *Theophylactus* (Marc. 11. à med.) Mirare autem divinam misericordiam qualiter, nobis appropinquantibus ad eum per fidem, miraculorum virtutem condonat, quam ipse possidet per naturam, intantum ut etiam montes transmutare possimus. *Beda* (super *Dicitur monti huic.*) Solent autem Gentiles qui contra Ecclesiam maledicta scripsere, improperare nostris, quia non habuerunt plenam fidem Dei, qui nunquam montes transferre poterunt. Quibus respondendum est, non omnia scripta esse quæ in Ecclesia sunt gesta; sicut & de factis ipsis Christi Scriptura testatur. Fieri autem potuit, si necessitas id fieri poposcisset; quomodo factum legitur. V 6

mus (1) precibus beatis patris Gregorii Neocæsareæ Ponti Antistitis, viri meritis & virtutibus eximii ut mons in terra tantum loco cederet, quantum incolæ civitatis opus habebant. *Chrysostomus.* (a) Vel aliter. Sicut ficum non propter se siccat, sed in signum Hierusalem ad arefactionem pervertatur, & ad demonstrationem virtutis suæ; sic intelligendum est & de promissione quæ est circa montem; quamvis huiusmodi transmutatio non sit impossibilis secundum Dei virtutem. *Hieronymus* (super *Quicumque dixerit huic monti.*) Christus igitur, qui est mons crescens de lapide abscisso sine manibus, tollitur, & mittitur in mare, quando Apostoli dicunt digne Act. 13. „ Transferamur ad gentes „ alteras, quia vos indignos iudicatis audiendi verbum Dei. *Beda* (super illdem verbis.) Vel quia montis nomine diabolus significatur propter superbiam, mons ad præceptum eorum qui fortes sunt in fide, tollitur de terra, & in mare projicitur, cum prædicantibus verbum Dei doctoribus sanctis, immandus spiritus ab eorum corde repellitur qui ad vitam (2) sunt præordinati, & in turbulentis, amarisque infidelium mentibus vesaniam suæ tyrannidibus exercere permittitur: in quos tanto acrius deservit, quanto amplius se dolet à læsione priorum fuisse depulsus.

Sequitur: *Propterea dico vobis: omnia quæ orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* *Theophylactus* (sup. *Omnia quæcumque orantes petitis.*) Qui enim ex affectu credit, manifestum est quod in Deum erigit cor suum, & illi conjungitur, & certificatur cor ejus calefactum, quasi suam petitionem jam consecutum: quod quidem intelligibile est ei qui passus est hoc. Et mihi quidem videtur illos hoc pati qui mensuram, & modum attendunt: propter hoc Dominus dicit, quod omnia accipietis quæcumque fide petieritis. Qui enim credit se totum disponi à Deo, cum lacrymis intercedens, & quasi Domini pedes in oratione tenere se cogitans, quæ juste postulat consequetur. Vis autem & aliter quæ petis accipere? Dimitte, si quid contra te peccaverit frater tuus: & hoc est quod subditur: *Et dum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester qui in calis est dimittat vobis peccata*

(1) In quatuor sæpe citatis exemplis legitur sic: precibus Gregorii Neocæsariensis, cujus precibus mons tantum spatii reliquit structoribus Ecclesiæ quantum opus habuerat. *Venerata autem Nicolini editio nota ad marginem hoc haberi ex Eusebio Lib. 7. Hist. cap. 25.*
(2) *Al.* Omittitur sunt. (3) *Nicolai* superaddit sequentia. *Glossa* (interlinealis.) Tremenda sententia inquit.

Ex edit. P. Nicol. (a) Quod subjungitur ex Chrysostomo, non occurrit. (b) Non Hieronymus, ut inepte antea notabatur, bis repetendo ejus nomen, hic nimirum, & in sequenti appendice, quasi divisum sensum contineret.

vestra. *Hieronymus* (super illud, *Et cum stabitis ad orandum.*) Septem versus orationis dominicæ Marcus suo more in una oratione comprehendit. Is autem cui dimissi sunt omnia peccata quid amplius rogabit nisi ut perseveret in eo quod obtinuit? *Beda* (super illdem verbis.) Notanda est autem distinctio lectionum. Qui perfectam habet fidem, quæ per dilectionem operatur, ille orando, vel etiam jubendo potest transferre montes spirituales, quomodo fecit Paulus de Elima mago; qui vero tantæ vestigiū perfectionis necdum conscendere queunt, postulent sibi peccata dimitti, & impetrabunt, si tamen in se peccantibus aliis primo ipsi dimittant. Sin autem hoc facere contemnant, non solum orando virtutes facere, sed nec suorum possunt veniam consequi peccatorum: & hoc est quod subditur: *Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in calis est dimittet vobis peccata vestra.* (3)

(c) *Theophylactus* (b) (circ. fin. Comment.) Quia Dominus de templo eiecerat eos qui templum quasi tabernam rerum venalium faciebant, irati fuerant; ideo accedunt, ut interrogent, & tentent: unde dicitur. *Et veniunt rursus Hierosolimam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & scribæ, & seniores, & dicunt ei: In qua potestate hæc facis; & quis dedit tibi hæc potestatem ut ista facias?* quasi dicat: Quis es tu qui talia facis? Numquid doctorem te constituis, & te ordinas principem sacerdotum? *Beda* (in fin. Comment. i. i. cap.) Et quidem quando dicunt, *In qua potestate hæc facis?* de Dei dubitant potestate, & supertelligi volunt diaboli esse quod facit: addentes quoque, *Quis dedit tibi hæc potestatem?* manifestissime Dei Filium negant, quem putant non suis, sed alienis viribus signa facere. *Theophylactus* (in fine Comment.) Hæc autem dicebant, credentes ipsum in judicationem reducere, ut si diceret, In potestate mea, ipsum tenerent; si autem diceret, In potestate alterius, ab eo discedere populum procurarent, qui ipsum Deum esse credebant. Dominus vero illos interrogat de Joanne, non frustra, neque sophistice, sed quia de eo Joannes perhibuerat testimonium: unde sequitur: *Ille autem respondens ait illis: Interrogabo vos & ego.* *Beda* (circ. fin. cap.) Poterat

quidem Dominus aperta responsione, tentatorum calumnias confutare; sed prudenter interrogat, ut suo vel silentio, vel sententia condemnentur: quod apparet ex eo quod subditur: *At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus, De celo, dicit nobis: Quare ergo non creditis ei? Quasi dicat: Quasi dicat: Quasi consistimini de celo habuisse prophetiam, mihi testimonium perhibuit, & ab illo audistis in qua ista facio potestate. Sequitur: *Si dixerimus, Ex hominibus.* Viderunt ergo, quodlibet horum respondissent, in laqueum se casuros, timentes lapidationem; sed magis timentes veritatis confessionem: unde sequitur: *Et respondentes, dicunt Jesu, Nesci-**

mus. (1) *Hieronymus* (in fin. Comment. in 11. cap. Mar.) De lucerna invidi obcurantur: unde dicitur Psal. 131. „ Paravi lucernam Christo „ meo: inimicos ejus induam confusionem. “
Sequitur: *Respondens Jesus, ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.* *Beda* (in fin. Comment. in 11. cap. Mar.) Quasi dicat: Non vobis dico quod scio, quia non vultis fieri quod scitis. Notandum autem, quod duas ob causas maxime scientia veritatis est occultanda quærentibus; scilicet cum is qui quærit, aut minus capax est ad intelligendum quod quærit; aut contemptu veritatis, aut aliquo (2) alio indignus est cui debeat aperiri quod quærit.

(1) *Al.* *Beda.* (2) *P. Nicolai* habet odio.

CAPUT XII.

(a) **ET** cœpit illis in parabolis loqui. Vineam passivavit homo, & circumdedit septem: & fodit lacum, & ædificavit turrin, & locavit eam agricolis, & pergre profectus est. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ: qui apprehensum eum cæciderunt, & dimiserunt vacuum. Et iterum misit ad illos alium servum; & illum in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt. Et rursum alium misit, & plures alios quosdam cadentes, alios vero occidentes. Adhuc ergo unum habens filium carissimum, & illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum. Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est heres: venite, occidamus eum; & nostra erit hereditas. Et apprehendentes eum occiderunt, & eiecerunt extra vineam. Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos, & dabit vineam aliis. Nec Scripturam hanc legisit: Lapidem quem reprobarunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam. Cognoverunt enim quoniam ad eos parobalam hanc dixerit: & relicto eo aberunt.

(b) Et mittunt ad eum quosdam ex pharisæis, & herodianis, ut eum caperent in verbo. Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, & non curas quemquam. Nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licet dari tributum Cæsari, an non dabimus? Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? Afferte mihi denarium, ut videam. At illi obtulerunt ei. Et ait illis: Cujus est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et mirabantur super eo.

(c) Et venerunt ad eum sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse, & interrogabant eum dicentes: Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cujus frater mortuus fuerit, & dimiserit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, & refuscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant, & primus accepit uxorem, & mortuus est, non relicto femine; & secundus accepit eam, & mortuus est, & nec iste reliquit semen: & tertius similiter: & acceperunt eam similiter septem, & non reliquerunt semen. Novissimus omnium defunctus est & mulier. In resurrectione ergo, cum resurrexerint, cujus de his erit uxor? Septem enim habuerunt eam uxorem. Et respondens Jesus ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei? Cum enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur; sed erant sicut Angeli Dei in calis. De mortuis autem quod resurgant non legisit in libro Moyse, super rubum quomodo dixerit illis Deus, inquitens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob: Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.

(d) Et accessit unus de scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatorum. Jesus autem respondit ei, quia primum omnium mandatum est; Audi Israel; Dominus Deus tuus,

ritus: Deus tuus est; & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua: hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Majus horum aliud mandatum non est. Et ait illi scriba: Bene: magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, & non est alius præter eum: & ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine; & diligere proximum sicut seipsum, majus est omnibus holocaustibus, & sacrificiis. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

(e) Respondens Jesus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt scribæ, Christum filium esse David? Ipse enim David dicit in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo David dicit ipsum Dominum, & unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audiebat.

(f) Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete à scribis, qui volunt in stolis ambulare, & saluari in foro, & in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cœnis: qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius judicium.

(g) Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspicebat quomodo turba jactaret as in gazophylacium, & multi divites jactabant multa. Cum venisset autem una vidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. Et convocans tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo David dicit ipsum Dominum, & unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audiebat.

(a) **G**lossa. (a) Postquam Dominus prudenti interrogazione tentatorum vni concluderet, consequenter eorum malitiam parabolice demonstrat: unde dicitur: *Et cepit illis in parabolis loqui. Vineam passinavit homo. Hieronymus.* Homo Deus Pater dicitur humano affectu: vinea domus Israel est; seps est custodia Angelorum; lacus est lex; turris templum; agricolæ sacerdotes. *Beda* (in prin. Commen. in cap. 12.) Vel seps murus est (1) urbis, lacus, sive torcular altare, aut illa torcularia quorum tres Psalmi præstantur titulo. *Theophylactus.* Vel seps est lex, prohibens eos alienigenis committeri. *Beda* (in prin. Commen. ad 12. cap. Mar.) Non loci mutatione; sed abire videtur à vinea, ut vitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat.

Sequitur: *Et misit ad agricolas in tempore servitium; ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.* *Hieronymus.* Servi missi Prophetæ, fructus vineæ obedientia est. De Prophetis alii casti, alii vulnerati, alii occisi sunt: unde sequitur: *Qui apprehensum cum ceciderunt, & dimiserunt vacuum.* *Beda* (ubi supra.) Servus qui primo missus est, ipse legitur Moyses intelligitur. Sed casum cum dimiserunt vacuum: irritaverunt enim Moyses in castris. Sequitur: *Et iterum misit ad illos alium servum, & illum in capite vulneraverunt, & contumelias affecerunt.* Servus alter David Regem, & ceteros Psalmistas significat: sed hunc affectum contumelias in capite vulneraverunt, quia Psalmistarum carmina parvipendentes, ipsum David abjecerunt, dicentes 3. Reg. 12. Quæ nobis pars cum David? Sequitur: *Et rursus alium misit; & illum occiderunt, & plures alios, quosdam cadentes, alios vero occidentes.* Tertium cum suis sociis servum, Prophetarum eorum intelligit: sed quem Prophetarum non sunt persecuti? His sane tribus servorum gradibus, omnium sub lege doctorum figuram posse comprehendere Dominus alibi pronuntiat, dicens Luc. 24. Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me. *Theophylactus* (Mar. 12. non remote à princ.) Vel aliter. Per primum servum intelligit Prophetas qui circa tempus Elize fuerunt: quoniam Michæam verberavit Sederchias pseudopropheta: secundum vero servum quem in capite vulneraverunt, id est affecerunt injuria, intelligit Prophetas qui fuerunt circa tempus Osæ, & Elaiæ: tertium vero servum intelligit Prophetas qui fuerunt circa tempus Danielis, & Ezechielis.

Sequitur: *Adhuc ergo unum habens filium carissimum, & illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia forte reverentur filium meum.* *Hieronymus* (non procul à princ. Commen.) Filius carissimus, & novissimus Unigenitus est. Quod

(1) Al. orbis.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat, nisi quod dicitur: *Et iterum misit ad illos alium servum, & illum in capite vulneraverunt, & contumelias affecerunt.*

autem dicit, *Reverentur filium meum*, per ironiam hoc dicitur. *Beda* (cap. 42.) Vel aliter. Quod ait, *Quia forte reverentur filium meum*, non de ignorantia venit; sed ambigere dicitur Deus, ut libera voluntas homini referretur. *Theophylactus* (non procul à princ.) Vel aliter. Non ignorans quod futurum erat, hoc dixit; sed ostendens quod erat decens, & congruum eos operari. *Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est heres: venite occidamus eum; & nostra erit hereditas.* *Beda* (super *Hic est heres.*) Manifestissime Dominus probat, Judæorum principes non per ignorantiam, sed per invidiam crucifixisse Filium Dei. Intellexerunt enim hunc esse qui dictum est Psal. 2. Dabo tibi gentes hereditatem tuam. (1) Hanc occisionem ejus mali coloni præcipere moliebantur, cum crucifigentes eum Judæi, fidem quæ per eum est, extinguere, & suam magis quæ ex lege est justitiam præferre, ac Gentibus imbuendis conabantur inferre.

Sequitur: *Et apprehendentes eum occiderunt, & ejecerunt extra vineam.* *Theophylactus* (ubi supra.) Scilicet extra Hierusalem: extra civitatem quippe crucifixus est Dominus. *Hieronymus* (par. à princ. Commen. in 12. cap.) *Vel ejecerunt eum extra vineam*, id est extra plebem, dicentes Joan. 8. Samaritanus es, & demonium habes. Vel quia quantum in se erat, ex suis eum finibus excludentes, Gentibus suscipiendum dederunt.

Sequitur: *Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos, & dabit vineam aliis.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 70.) Et quidem *Matthæus* cap. 21. illos respondisse subjungit, atque dixisse, Malos male perdet; quod *Marcus* hic non ab ipsis responsum esse commemorat; sed Dominum post interrogationem suam ipsum sibi quodammodo respondisse. Sed facile potest intelligi vel illorum vocem ita subjunctam ut non interponeretur, Illi responderunt, aut Illi dixerunt, sed tamen intelligeretur; aut ideo responsum istam Domino potius attributam, quia cum verum dixerunt, etiam de illis hoc ipse respondit, qui veritas est. *Theophylactus* (Mar. 12. non remote à princ.) Dominus ergo vineæ est Pater Filii interempti, & ipse Filius interemptus, qui perdet colonos, tradens ipsos Romanis; & populum dabit aliis colonis, id est Apostolis. Perlegas Actus Apostolorum, & invenies tria millia, & quinque millia repente credentium, & fructificantium Deo. *Hieronymus* (ubi supra.) Vel datur vinea aliis, id est ab oriente, & occidente, & austro, *S. Thom. Opus. Tom. VIII.*

(1) Al. Hanc occisionem ejus, item occasionem ejus. *P. Nicolajus* habet Hanc autem occisionem mali coloni &c. (2) *Nicolaj* legit constans.

& ab aquilone venientibus, & recumbentibus cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno Dei. *Beda* (super *Veniet, & perdet colonos.*) Hoc autem ita divinitus fuisse procuratum propheticè statim affirmavi exemplo, subiiciens: *Non Scripturam hanc legistis: Lapidem quem reproboverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; quasi dicat: Quomodo implebitur hæc propheta, nisi quia Christus à vobis reprobus, & occisus, traditus est Gentibus prædicandus, ut quasi lapis angularis duos populos condat in semetipsum, atque ex utroque populo unam sibi fideliū civitatem, unum templum ædificet? Eodem enim synagoga magistris, quos supra colonos dixerat, nunc ædificantes appellat: quia subditam sibi plebem ad ferendos vitæ fructus quasi vineam videbantur excolere: ipsi quoque hanc Deo inhabitatore dignam quasi domum construere, atque ornare præcipiebantur. *Theophylactus* (Mar. 12. super *Lapidem quem reproboverunt.*) Lapis ergo quem reproboverunt doctores, hic factus est in caput anguli, id est in caput Ecclesiæ: angulus namque Ecclesiæ est, quasi conjungens Judæos, & Gentiles: hic angulus, scilicet Ecclesiæ, à Domino factus est, & est mirabilis in oculis nostris, scilicet fidelium: nam ab infidelibus miraculis detrahitur. Mirabilis quidem est Ecclesiæ quasi miraculis (2) sistens Domino cooperante Apostolis, & sermonem confirmante sequentibus signis; & hoc est quod dicitur: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* *Hieronymus* (aliq. à princ. Commen.) Vel aliter. Hic lapis reprobus, quem gestat angulus conjungens in cena agnum cum panis, finiens vetus, novum inchoans testamentum, præstat mira in oculis nostris, ut topazion. *Beda* (super *Quærebant eum tenere.*) Principes autem sacerdotum ostendebant vera esse quæ Dominus dixerat; quod patet ex hoc quod subditur: *Et quærebant eum tenere.* Ipse enim est heres cujus injustam necem dicebat esse vindicandam à Patre. Moraliter autem cuique fidelium cum mysterium baptismi committitur, quasi vinea quam excolat locatur. Sed missus servus contumelias affectus, vel casus ejicitur, cum sermo auditus vel contemnitur, vel quod pejus est, etiam blasphematur. Missum insuper heredem quantum in se est occidit qui Filium Dei concalcavit. Perdito malo cultore, vinea datur alteri, cum dono gratiæ, quod superbus sprevit, humilis quisque ditabitur. Sed hoc quod principes sacerdotum manum mittere quærentes in Jesum, timore turbæ retinentur, quotidie geritur in Ecclesiâ, cum*

quilibet solo nomine frater eam quam non diligit ecclesiastica fidei, & pacis unitatem propter cohabitandum fratrum bonorum multitudinem aut erubescit, aut timet impugnare.

(b) *Beda* (cap. 42. super *Mittunt ad eum quosdam.*) Querentes Dominum comprehendere summi sacerdotes timuerunt turbam; atque ideo quod per se non poterunt, terrenis potestatibus efficere tentabant, ut vel ipsi à morte ejus viderentur immunes: & ideo dicitur: *Et mittunt ad eum quosdam ex pharisæis, & herodianis, ut eum caperent in verbo.* *Theophylactus* (ibid.) Diximus alibi de herodianis, quod hæresis quædam nova erat dicentium, Christum esse Herodem, propter hoc quod defecerant successiones regni Judæorum. Alii vero dicunt herodianos milites fuisse Herodis, quos pharisæi pro testibus inducebant de his quæ dicebantur à Christo, ut eum caperent, & adducerent. Vide autem eorum malitiam, qualiter eum adulatione Christum decipere volebant: nam sequitur: *Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus.* *Hieronymus* (super *Ut caperent eum.*) Milites (1) enim verbis eum interrogabant, & circumdabant eum, sicut apes mel portantes in ore, aculeum in tergo. *Beda* (super *Magister, scimus.*) Blanda autem, & fraudulenta interrogatio illuc provocat respondentem ut magis Deum quam Cæsarem timeat, & dicat non debere tributa solvi, ut statim audientes herodianis, teditiois contra Romanos auctorem habeant: & ideo subdunt: *Et non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum.* *Theophylactus* (super *Et non respicis.*) Ita ut Cæsarem non honores, scilicet contra veritatem. Ideo subdunt: *Sed in veritate viam Dei doces.* Licet tributum dari Cæsari, an non dabimus? Totum enim artificium eorum erat undique præcipitium habens: ut si diceret, quod licet censum Cæsari dari, provocent contra eum plebem, quasi in servitutem reducentem ipsum populum; si vero diceret, quod non licet dari, sic accusarent eum tamquam excitaret populum contra Cæsarem. Sed sapientiæ fons fugit dolos eorum: unde sequitur: *Qui sciens versutiam eorum, ait illis: Quid me tentatis? Afferte mihi denarium, ut videam.* At illi obtulerunt ei. *Beda* (cap. 42. in Marc. super *Afferte mihi denarium.*) Denarius est genus nummi quod pro decem nummis imputabatur, & habebat imaginem Cæsaris: unde sequitur: *Et ait illis: Cujus est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei, Cæsaris.* Qui putant interrogationem Salvatoris ignorantiam esse, non dispensationem, ex hoc discant quod

potuit scire cuius imago esset, sed interrogat, ut ad sermonem eorum competenter responderet: unde sequitur: *Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* *Theophylactus* (super *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.*) Quasi dicat: Date quod imaginem habet imaginato, id est denarium Cæsari: potestis enim & censum Cæsari dare, & Deo propria offerre. *Beda* (ibid.) Id est decimas, & primitias, & oblationes, & victimas, quomodo & ipse (2) reddidit quæ Dei sunt, Patris faciens voluntatem. *Hieronymus* (super *Magister, scimus.*) Vel aliter. Nummum habentem Cæsaris imaginem reddite coactum Cæsari; vospis libenter Deo reddite. Signatum est enim super nos lumen vultus tui Domine, Psalm. 41. non Cæsaris. *Theophylactus* (ubi supra.) Quasi Cæsar etiam est unusquisque nostrorum corporum inevitabilis necessitas. Jubet ergo Dominum dari corpori cibaria propria, & vestitum, & quæ sunt Dei Deo. (3) Sequitur: *Et mirabantur super eo.* Qui credere debuerant, ad tantam sapientiam sunt mirati, quod calliditas eorum non invenisset iocum.

(c) *Glossa.* (a) Postquam Dominus sapienter pharisæorum callidam tentationem evitavit, ostenditur quomodo etiam sadduceos tentantes confundit: unde dicitur: *Et venerunt ad eum sadducei, qui dicunt resurrectionem non esse.* *Theophylactus* (Marc. 12. super *Et veniunt sadducei ad illum.*) Hæresis quædam Judæorum erat, qui dicebantur sadducei, & hi resurrectionem negabant, & dicebant quod non sit Angelus, neque spiritus. Hi ergo accedentes ad Jesum, dolose narrationem quandam inquiserunt, per quam offenderent resurrectionem non esse necessitam, nec sciendam. Et ideo subditur: *Et interrogabant eum, dicentes, Magister.* In qua quidem narratione septem ponunt, qui mulierem acceperant, ut magis (4) retrahat à resurrectione. *Beda* (super illud, *Moses scripsit nobis.*) Recte enim istiusmodi fingunt fabulam, quæ deliramenti arguat eos qui resurrectionem asserunt corporum. Potest autem fieri ut vere in gente eorum aliquando hoc acciderit. *Hieronymus* (super *Septem eam habuerunt uxorem.*) Mystice autem mulier sterilis non relinquens semen ex septem fratribus, novissime moriens, quid aliud significat quam Judaicam synagogam relictam à Spiritu septiformi, qui septem Patriarchas implevit, qui non reliquerunt ei semen Abraham, quod est Jesus Christus? licet enim puer natus est illis, nobis tamen Gentibus datus

(1) *Al. Mellius enim verbis.* (2) *Al. reddidit.* (3) *Nicolaus addit ex Theophylacto scilicet vigiliis, orationes, &c.* (4) *Al. rem trahant.*
EX EDIT. P. NICOL. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat. (c) Nec id rursus in Glossa est qualis nunc extat.

tus est: quæ mulier mortua erat Christo, nec cuiquam Patriarchæ de septem in resurrectione conjungeretur. Septenario namque numero universitas perfectorum significatur, ut versa vice per Esaiam cap. 4. dicitur: „Apprehendent septem mulieres virum unum;“ id est, septem Ecclesiæ, quas Dominus amat, arguit, & castigat, eum una fide adorant: unde sequitur: *Et respondens Jesus ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei.* *Theophylactus* (Marc. 12. par. ante finem Comment.) Quasi dicat: Vos non intelligitis qualem resurrectionem Scriptura annuntiet. Creditis enim quod restauratio corporum talium sit futura qualia nunc sunt; non autem sic erit. Sic igitur ignoratis Scripturam, sed etiam virtutem ignoratis divinam. Vos enim consideratis quasi difficile, dicentes: Qualiter poterunt membra dissoluta conjungi, & animabus adunari? Hoc enim respectu divinæ potentæ quasi nihil est. Sequitur: *Cum enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in Cælis:* quasi dicat: Divina quædam erit vitæ restauratio, & angelica, cum ulterius non corruptemur, sed eodem modo manebimus, & propter hoc nuptiæ auferebuntur. Nam nuptiæ quidem nunc sunt propter corruptionem, ut per successionem generis persistamus, & non desiciamus; tunc vero sicut Angeli erimus, qui sunt sine successione nuptiali, & nunquam desinunt. *Beda* (a) (super *Neque nubent, neque nubentur.*) Considerandum est hic quod Latina consuetudo hic Græco idiomati non responderet. Nubere enim proprie dicuntur mulieres, & viri uxores ducere; sed nos simpliciter dictum intelligamus, ut nubere de viris, & nubi de uxoriibus scriptum sit. *Hieronymus* (super *Nonne ideo erratis?*) Sic igitur errant non intelligentes Scripturas, quia in resurrectione homines erunt sicut Angeli Dei; id est, nemo ibi moritur, nemo ibi nascitur; nec infans est ibi, nec senex. *Theophylactus* (Marc. 12. à med. Comment.) Et aliter etiam decipiuntur non intelligentes Scripturas. Si enim has intellexerint, intelligerent quomodo per Scripturas resurrectione mortuorum possit probari: unde subdit: *De mortuis quod resurgant non legistis in libro Moyse, super rubum quomodo dixit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Hieronymus* (super *De mortuis autem quod resurgant.*) Dico autem, *Super rubum*, in quo est similitudo vestra, in quo ignis ardebat, sed non ejus spinas

consumebat; sic vos inflammat eloquium meum, nec spinas vestras sub maledicto germinatas absumit. *Theophylactus* (Marc. 12. à med. illius.) Dico autem: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob;* quasi dicat, Deus viventium: unde subdit: *Non est Deus mortuorum, sed vivorum.* Non enim dixit, *Ego fui, sed Ego sum*, tamquam illi præsentem existant. Sed forte aliquis dicit, quod hoc dixit solum Deus de anima Abraham: non de corpore. Ad quod dicimus, quod Abraham utrumque importat, scilicet corpus, & animam, ita ut & corporis ipse sit Deus, & corpus vivat apud Deum, id est in Dei ordinatione. *Beda* (super *Ego sum Deus Abraham.*) Vel (1) quia cum probavit animas permanere post mortem (neque enim poterat fieri ut eorum esset Deus qui nequaquam subsisterent) consequenter introduceretur & corporum resurrectio, quæ cum animabus bona, malaque gesserunt. *Hieronymus* (super *De mortuis autem non legistis.*) Cum autem dicit: *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob,* ter Deum nominando Trinitatem inanimavit. Cum autem dicit: *Non est Deus mortuorum, unum Deum iterans, unam substantiam significavit.* Vivunt autem qui (2) vendicant portionem quam elegerant; mortui autem sunt qui quod vendicaverant, perdidit.

Vos ergo multum erratis. *Glossa.* (b) Quia videlicet & Scripturis contradicebant, & virtuti Dei derogabant.

(c) *Glossa.* (c) Postquam Dominus confutavit pharisæos, & sadduceos tentantes, hic ostenditur quomodo satisfecit scribæ querenti: unde dicitur: *Et accessit unus de scribis, qui audierat illos inquirentes, & videns quod bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatorum.* *Hieronymus* (super *Quod est primum mandatum in lege.*) Quæ est hæc quæstio problematis, quod est commune omnibus peritis in lege, nisi quod diversa in Exodo, & Levitico, & Deuteronomio ordinantur mandata? Unde non unum, sed duo intulit mandata, quibus quasi duobus uberibus super pectus sponsæ elevatis nostra alitur infantia; & ideo subditur: *Primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.* Primum omnium maximum mandatum dicit: hoc est quod ante omnia debemus in corde singuli quasi unicum pietatis fundamentum locare, id est cognitio, atque confessio divinæ unitatis cum executione bonæ operationis, quæ in dilectione Dei, & pro-

(1) *P. Nicolai ponit* Vel etiam ut cum probaverit, &c. (2) *Al. nec vendicant.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ex Hieronymo mutuatus in 22. caput Math. (b) Non est in Glossa quæ nunc extat; est præcedentia tum ex Beda, tum etiam ex Hieronymo (suppositio tamen) ibi referuntur. (c) Nec id rursus in Glossa est qualis nunc extat.

xfmi perficitur: unde subdit: *Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua: hoc est primum mandatum. Theophylactus* (Marc. 12. à med. Comment.) Attende qualiter omnes animæ vires enumeravit. Est enim virtus animæ animalis, quam (1) expedit in dicendo: *Et tota anima tua*, ad quam pertinet ira, & desiderium; quæ omnia tribui vult divino amori. Est & alia vis, quæ dicitur naturalis, ad quam pertinet nutritiva, & augmentativa; & ista est etiam danda Domino tota, propter quod dicit: *Ex toto corde*. Est & alia vis rationalis, quam mentem vocat; & ista etiam est danda Deo tota. *Glossa*. (a) Quod autem subdit, *Et ex tota fortitudine*, ad vires corporales referri potest.

Sequitur: *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Theophylactus* (à med. Comm.) Propter hoc dicit esse simile, quia hæc duo mandata alternatim sunt sibi consona, & reciproce convertuntur: nam qui diligit Deum, diligit & facturam suam. Principale autem sanctorum ejus est homo: unde qui diligit Deum, diligere debet omnes homines; qui vero diligit proximum, qui multoties dat causam scandali, multo magis eum debet diligere qui semper præstat beneficia; & ideo propter coherentiam horum mandatorum subdit: *Majus horum aliud mandatum non est.*

Sequitur: *Et ait illi scriba: Bene, Magister, in veritate dixisti. Beda* (super illud, *Bene Magister in veritate*.) Ostendit ex hoc quod dicit, *Majus est omnibus holocaustibus, & sacrificiis, gravem sæpe inter scribas, & pharisæos questionem esse versatam, quod esset mandatum primum, sive maximum divinæ legis; quibusdam videlicet hostias, & sacrificia laudantibus; aliis vero fidei, & dilectionis opera præferentibus: eo quod plurimi patrum antelægem ex fide tantum, quæ per dilectionem operatur, placerent Deo. In hac sententia scriba iste se fuisse declarat.*

Sequitur: *Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non longe es à regno Dei. Theophylactus* (Marc. 12. à med. Comment.) In quo non eum esse perfectum testatur: non enim dixit, *Intra Regnum Cælorum es; sed Non longe es à regno Dei. Beda* (super *Non longe es à regno Dei*.) Ideo autem non fuit longe à regno Dei, quia sententiæ illius quæ novi testamenti, & evangelicæ perfectionis est propria, fautor extitisse probatus est. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 83.) Nec moveat quod

(1) Forte expendit.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Quod subjungitur ex Glossa, nunc in illa non extat. (b) *Beda*. Ejus nomine prætermisso, prius ista confundebantur cum Hieronymi verbis, qui Hieronymum tamen suppositivus duntaxat, non verus est. (c) Non est in Glossa, ut est in 1074. (d) *Augustinus*

Matthæus dicit tentantem fuisse, à quo Dominus interrogatus est: fieri enim potest ut quavis tentans accesserit, Domini tamen responsione correctus sit: aut certe ipsam tentationem non accipiamus malam, tamquam decipere volentis inimicum, sed cautam potius; tamquam experiri amplius volentis ignotum. *Hieronymus* (super *Et ait illi scriba*.) Vel non est longe qui venit callide: longior namque est ignorantia à regno Dei, quam scientia: unde supra *sadducæis, Erratis*, inquit, *nescientes Scripturam, neque virtutem Dei*. Sequitur: *Et nemo audebat jam eum interrogare. (b) Quia enim in sermonibus confutati sunt, ultra non interrogant, sed appetitissime comprehensum Romanæ tradunt potestati. Ex quo intelligimus, venena invidia posse quidem superari, sed difficile conquiescere.*

(c) *Theophylactus* (Marc. 12. inter med. & finem Comment.) Quia Christus ad passionem venturus erat, opinionem falsam corrigi Judæorum, qui Christum filium David esse dicebant, non Dominum ejus: unde dicitur: *Et respondens Jesus, dixit docens in templo. Hieronymus* (ubi supra.) Idei, palam eis desole loquitur, ut inexcusabiles sint: sequitur enim: *Quomodo dicite scriba Christum filium David esse? Theophylactus* (inter med. & finem Comment.) Ostendit vero Christus se esse Dominum per verba David: nam sequitur: *Ipse autem dicebat in Spiritu Sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis; quasi dicat: Non potestis mihi dicere quod David absque gratia Spiritus Sancti hoc dixerit; sed in Spiritu Sancto vocavit eum Dominum. Et quod sit Dominus, ostendit per hoc quod subdit: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipsi enim erant inimici ejus, quos Deus Pater posuit scabellum Christi. Quod autem à Patre subjiciuntur ei inimici, non infirmitatem Filii, sed unitatem naturæ, qua in altero alter operatur, significat. Nam & Filius subjicit inimicos Patri, quia Patrem clarificat super terram. *Glossa*. (c) Sic ergo Dominus ex prædicatione concludit dubitabilem questionem: nam ex verbis David præmissis habetur quod Christus sit Dominus David; ex dicto autem scribarum habetur, quod sit filius ejus: & hoc est quod subditur. *Ipse ergo David dicit eum Dominum; & unde est filius ejus? Beda* (super *Quomodo dicunt scribae?*) Interrogatio Jesu nobis profuit usque hodie contra Judæos: & hi enim qui consistuntur Christum esse venturum, hominem simplicem, & sanctum virum asserunt de genere Da-*

David. Interrogemus ergo eos docti à Domino, si simplex homo est, & tantum filius David, quomodo vocer eum David Dominum suum in Spiritu Sancto. Non autem reprehenduntur quod David filium dicant, sed quod Dei Filium eum esse non credunt.

Sequitur: *Et multa turba libenter eum audiebat. Glossa*. (a) Quia scilicet videbant eum sapienter respondentem, & interrogantem.

(f) *Hieronymus* (Marc. 12. super *Ait illi scriba*.) Confutatis scribis, & pharisæis, ut ignis eorum arida exempla incendit: unde dicitur: *Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete à scribis: qui volunt in stolis ambulare. Beda* (super *Cavete à scribis*.) Ambulate in stolis, cultioribus vestimentis indutos ad publicum procedere significat: in quo inter cætera dives ille qui epulabatur quotidie splendide, pectate describitur. *Theophylactus* (aliq. ante finem Comment.) In stolis autem venerabilibus ambulabant, ex hoc volentes præhonorari, & similiter alia appetebant quæ cedunt ad gloriam: nam sequitur: *Et salvari in foro, & in primis cathedris sedere in synagoga, & primos discubitus in cænis, scilicet volunt. Beda* (ubi supra.) Notandum autem, quod non salvari in foro, non primos sedere, vel discubere vetat eos quibus hoc officii ordine competit; sed eos qui hæc sive habita, sive non habita indebitè amant, à fidelibus quasi improbos docet esse cavendos, animum videlicet, non gradum redarguens; licet culpa non careat, si iidem in foro litibus interessent qui in cathedra Moysi synagoge magistri cupiunt appellari. Duplici sane ratione à vanæ gloriæ cupidis attendere jubemur, ne scilicet eorum vel simulatione seducamur, æstimantes bona esse quæ faciunt, vel emulatione inflammemur, frustra gaudentes in bonis (1) quæ simulant, laudari. *Theophylactus* (aliq. ante fin.) Specialiter etiam Apostolos docet ut nullam cum scribis habeant conversationem, sed ipsum Christum imitentur, ordinantque ipsos magistros in his quæ sunt circa vitam agenda, alios eis supponit. *Beda* (supra *Qui devorant*.) Non solum autem laudes ab hominibus, verum etiam pecunias quærunt: unde sequitur: *Qui devorant domos viduarum sub ebrietate proluxæ orationis*. Sunt enim qui se justos simulant, à peccatorum suorum conscientia (2) turbatis, quasi patroni pro eis in judicio futuri, pecunias accipere non dubitant: & cum porrecta manus pauperi preces jurare soleat, illi ob hoc maxime in precibus pernoctant, ut pauperi nummum tollant. *Theophylactus* (Marc. S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. quæ laudari simulant. (2) Al. turbati. (3) Al. appetituros primatus. (4) Al. phylatein. (5) Al. vocavit.

EX EDIT. NICOL. (a) Neque hoc rursus in Glossa est qualis nunc extat.

12. aliq. ante finem.) Accedebant autem scribae ad has mulieres, quæ sine protectione viri manebant, quasi eorum fierent protectores; & simulatione orationis, & habitu reverentiæ, & hypocriti viduas decipiebant, & sic etiam devorabant divitum domos. Sequitur: *Hi accipient prolixius iudicium, scilicet quam ceteri Judæorum peccantium.*

(g) *Beda* (super *Et sedens contra gazophylacium*.) Dominus qui (3) appetitus primatus, & vanæ gloriæ cavendos esse moverat, etiam dona ferentes in domum Domini certo examine discernit: unde dicitur: *Et sedens Jesus contra gazophylacium aspiciebat quomodo turba iactaret es in gazophylacium*. Sermonem græco (4) phylaxe, servare dicitur, & gaza Persicæ lingua divitiarum vocantur: unde gazophylacium locus appellari solet, quo divitiæ servantur; quo nomine & arca, in qua donaria populi congregantur ad usus templi necessarios, & porticus, in quibus servabantur, appellabantur. Habes exemplum de porticibus in Evangelio. „ Hæc (inquit „ Joann. 8.) verba locutus est in gazophylacio „ docens in templo. „ Habes & de arca in libro Regum 4. cap. 12. „ Et arulit Jojada Pontifex „ gazophylacium unum. „ *Theophylactus* (paulo ante finem Comment.) Erat autem laudabilis consuetudo apud Judæos, ut scilicet habentes, & volentes aliquid in gazophylacio ponere, quod esset pro sacerdotibus, & pauperibus, & viduis, ut exinde nutrirentur: unde subditur: *Et multi divites iactabant multa*. Multis autem hoc facientibus accessit & vidua, ostendens assectum in oblatione pecuniæ secundum propriam virtutem: unde subditur: *Cum venisset autem una vidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. Beda* (non remore à fine.) Quadrantem (5) vocant calculatores quartam partem cujuslibet rei, videlicet aut loci, aut temporis, aut pecuniæ. Forsitan ergo hoc loco quartam partem scilicet, idest quinque obolos significat. Sequitur: *Et convocans discipulos suos ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium*. Deus enim non substantiam offerentium, sed conscientiam pensat; nec perpendit quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur: unde subdit: *Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt; hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum. Hieronymus*. Mystice autem divites sunt qui profertur de thesauro cordis sui nova, & vetera; quæ sunt incerta, & occulta sapientiæ divinæ utriusque testamenti; pauper-

Y 6

CU-

cula autem quæ est (1) nisi ego, & mei similes, qui mitto quod possum, & desiderio quod non possum vobis explanare? Nam non quantum vos audistis, sed ex quanto considerat Deus. Unusquisque autem quadrantiem potest offerre, quæ est voluntas prompta: quæ dicitur quadrans, quia cum tribus consistit, scilicet cogitatu, verbo, & facto. Quod dicitur: *Totum victum suum misit*, hoc significat quia tota voluntas corporis in victu consistit: unde dicitur Eccl. 6. Totus labor hominis in ore suo est. *Theophylactus* (sica finem Comment.) Vel aliter: Vidua ista anima hominis est, relinquens sarrabam; cui tæriat adjuncta: quæ mittit in templi æratio duo minura, carnem scilicet, & mentem: carnem quidem per abstinentiam; mentem vero per humilitatem: ut sic audire valeat quod totum victum suum posuit, & sacram fecit, nihil de suo

(1) *Al. ut ego; & in fine cum puncto affirmationis.* (2) *Al. deest Jesus.* (3) *Legit P. Nicolai consideratu, & infra superbientium pro superbientibus.*

CAPUT XIII.

(a) **E**T cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structura. Et respondens Jesus ait illi: Vides has magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruat.

(b) Et cum sederet in monte olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, & Jacobus, & Joannes, & Andreas: Dic nobis quando ista fient, & quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari? Et respondens Jesus cepit dicere illis: Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego sum; & multos seducunt. Cum audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timeveritis. Oportet enim hæc fieri, sed nondum finis. Exurget enim gens contra gentem, & regnum super regnum, & erunt terræ motus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.

(c) Videte autem vosmetipsos: tradent enim vos in conciliis, & in synagogis vapulabitis, & ante præfides, & Reges stabitis propter me, in testimonium illis. Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini; sed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquamini. Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium; & consurgent filii in parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic saluus erit.

(d) Cum autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet (qui legit intelligat) tunc qui in Judæa sunt fugiant in montes; & qui super tectum, non descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo sua; & qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum. Væ autem prægnantibus, & nutrentibus in illis diebus. Orate ergo ut hieme non fiant. Erunt enim dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, usque nunc, neque fient. Et nisi brevialset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro. Sed propter electos suos elegit, brevavit dies.

(e) Et tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, ecce illic; ne credideritis: exurgent enim pseudochristi, & pseudoprophete, & dabunt signa, & prodigia ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia. Sed in illis diebus post tribulationem illam, Sol contenebrabitur, & Luna non dabit splendorem suum, & stellæ Cæli erunt decedentes, & virtutes quæ in cælis sunt, movebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria. Et tunc mittet Angelos suos, & congregabit electos suos à quatuor ventis à summo terræ usque ad summum Cæli.

(f) A sicut autem discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas. Sic & vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostitis. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc donec omnia ista fiant. Cælum, & terra transibunt; verba autem mea non transibunt.

(g) De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater. Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cuiusque operis, & janitori præcepit ut vigilet. Vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domus veniat; sero, an media nocte, an galli cantu, an mane) ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico. Vigilate.

(a) **B**eda (cap. 43. in Marc.) Quia fundata Ecclesia Christi, Judæa dignas suæ perfidiæ pœnas erat luitura, apte Dominus post laudatam in paupere vidua devotionem Ecclesiæ, egreditur de templo, ruinamque ejus futuram, atque ædificia nunc admiranda non multo post contemnenda esse prædixit: unde dicitur: *Et cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structura.* *Theophylactus* (in princ. Comment. in 13. cap.) Quia enim multa circa destructionem Hierusalem Dominus locutus fuerat, discipuli ejus mirabantur quod tam magna, & pulchra ædificia destrui debeant; & propter hoc ostendunt ei templi decorem; qui non solum ait hæc destruenda fore, sed & quod in eis lapis super lapidem non relinqueretur: unde sequitur: *Et respondens Jesus ait illi: Vides has magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruat.* Sed dicerent aliqui, quod multa reliquia remanserunt, ut Christum mendacem niantur ostendere. Sed nequaquam est hoc: est enim aliqua (1) reliquia remansissent, tamen usque ad universalem consumptionem non relinqueretur lapis super lapidem. Præterea narratur, quod Elius Adrianus civitatem, & templum à fundamento evertit: ita quod verbum Domini quod hic dicitur, sit impletum. *Beda* (ubi supra.) Divinitus autem procuratum est, ut, patefacta per orbem fidei evangelicæ gratia, templum ipsum cum cæremoniis tolleretur; ne quis forte parvulus in fide, si videret illa permanere quæ à Deo sunt instituta, paulatim à sinceritate fidei quæ est in Christo Jesu, ad carnalem laboreretur Judaismum. *Hieronymus* (Marc. 13. in princ. Commen.) In hoc etiam enumerat Dominus discipulis cladem novissimi temporis, id est destructionem templi cum plebe, & littera sua; de qua lapis super lapidem non relinquetur, id est testimonia Prophetarum super eos, in quos Judæi retorquebant ea, ut in Esdræ, & Zorobabel, & Machabæos. *Beda* (ubi supra.) Recedente etiam Domino de templo, omnia legis ædificia, & compositio mandatorum ita destructa est ut nihil à Judæis impleri possit; & capite

sublatò, universa inter se membra compugnant.

(b) *Beda* (non remote à princ. cap. 13.) Quia laudantibus quibusdam ædificationes templi Dominus palam responderat hæc esse omnia destruenda, discipuli secreto tempus, & signa prædictæ destructionis interrogant: unde dicitur: *Et cum sederet in monte olivarum contra templum interrogabant eum.* Sedit Dominus in monte olivarum contra templum, cum de ruina, & excidio templi disputat, ut etiam ipso corporis sui verbis quæ loquitur (2) congruat, mystice designans, quod quiens manens in sanctis, superborum detestatur amentiam. Mons enim Olivæ fructiferam designat sanctæ Ecclesiæ celsitudinem. *Augustinus* (epist. 80. ad Helyschium par. ante med.) Interrogantibus autem discipulis ea respondit Dominus quæ jam ex illo tempore fuerant secutura, sive de excidio Hierusalem, unde orta est ipsius interrogationis occasio, sive de adventu suo per Ecclesiam, in qua usque ad finem venite non cessat: in suis enim veniens agnoscitur, dum ejus quotidie membra nascuntur: sive de ipso fine, in quo apparebit vos judicaturus, & mortuos. *Theophylactus* (cap. 13. in Marc. prope princ.) Sed antequam eis ad interrogata responderet, mentem eorum confirmat, ut non seducantur; unde sequitur: *Et respondens Jesus cepit dicere illis: Videte ne quis vos seducat.* Hoc autem dicit, quia incipientibus circa Judæam passionibus, insurrexerunt quidam qui se doctores esse dicebant: unde sequitur: *Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego sum.* *Beda* (super *Videte ne quis vos seducat.*) Multi enim imminente Hieronymorum excidio exitere qui se esse Christos dixerunt, tempusque libertatis jam appropinquare: multi etiam in Ecclesia ipsis etiam temporibus Apostolorum heresiarchæ prodire: multi etiam in nomine Christi venere antichristi, quorum primus est Simon Magus, cui, sicut in actibus Apostolorum legitur cap. 8. auscultabant qui in Samaria erant dicentes: „Hæc est virtus „Dei, quæ vocatur magna:“ unde & hic subditur: *Et multos seducunt.* A tempore autem

(1) *Al. omittitur reliquæ.* (2) *Al. construat.*